



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

32. An si Episcopus prohibeat furtum sub pœna excommunicationis latæ
sententiæ, furans incurrat excommunicationem, si invincibiliter legem
istam ignoret? Idem dicendum est, si excommunicatio lata sit ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

erit bellum iustum, & iniustum respectu diversorum, quod non implicat; non enim implicat, quod idem sit debitor, & creditor eiusdem secundum diversas rationes.

11. Nec dicas quartò cum aliis, quod subditus peccat contra iustitiam, dum Superiorem spoliat iure præcipiendi, quod ius Superior habet ab illa opinione probabilis; qui enim alterum spoliat re, quam iuste possidet iniustitiam committit. Nam contra est, quia etsi verum sit, quod qui alium spoliat re, quam iuste possidet, peccat contra iustitiam, tamen hoc verum est, quando rem iuste absolute possidet: at quando possidet rem iuste probabiliter, & non absolute, tunc non facit contra iustitiam, qui re illa ipsum spoliat, sequendo opinionem oppositam. Nam possidere iuste probabiliter admittit secum iniuste probabiliter possidere: quando igitur subditus spoliat Superiorem illo iure iuste probabiliter possessio, non spoliat illum secundum quod iuste probabiliter possidet secundum opinionem Superioris, sed secundum quod iniuste probabiliter possidet secundum opinionem ipsius subditi. Et hæc omnia docet Ianuarius ubi supra.

12. Vidisti, amice Lector, quam validè hi duo docti Recentiores, post utrumque Sanchez, causam subditorum tutare voluerint. Quorum omnes rationes, & argumenta, hæc per extensum in tui gratiam apponere volui. Vide etiam Franciscum Girago, de Regim. Regul. part. 3. dub. 30. per tot. & ne deseras cognoscere Rocafull in praxi Theol. mor. part. 3. lib. 3. dub. 14. n. 143. vbi num. 146. sic ait: Quæres an in casu quo subditus sequens opinionem probabilem, non obtemperet Superiori, incurrat pœnas, vel censuris ligetur? Respondet, non incurrere pœnas, neque censuris ligari. Et ratio est, quia non delinquit subditus non obtemperans in hoc casu, cum sequens opinionem probabilem, culpa caret operando, iuxta illam; & res, quæ culpa caret, in damnum vocari non debent, cap. 2. de Constitutionibus, nec sine culpa quisquam puniendus est, ex regul. in 6. & tanè, si subditus puniretur in hoc casu, puniretur ob actionem, quæ solum esset peccatum ex Superioris iudicio, seu propter peccatum excogitatum à iudice, non propter peccatum à Reo revera commissum, quod est absurdum. Ita ille.

13. Verum his non obstantibus ego non recedo à sententia affirmativa, quam olim docui, & contra me, ut dixi nominatim impugnât Pater Spinula; & idèd præter Vaquez, Villalobos, & Turrianum à me alibi citatos, tenet nostram sententiam sapientissimus Theologus Societatis Iesu Ioannes Præpositus, in 3. part. D. Thomæ, q. 1. de Censuris in communi, dub. 9. n. 63. vbi sic ait: Quando constat de potestate ferendi legem, censura debet servari, nisi aperte constet legem esse nullam, vel in se, vel in ordine ad censuram, vel ita moraliter iudicetur esse nullam, ut pro ejus iustitia vix appareant rationes probabiles; si enim vel probabiles appareant, iudicandum est pro Legislatore, qui est in possessione ferendi legem, qui in usu huius potestatis potest sese conformare sententiæ probabilis, non minus quam privati, & proinde eo casu subditi tenentur obedire; nisi enim ad id obligarentur, gravis perturbatio sequeretur in Ecclesia. Ita ille, cui adde ex eadem Societate Valer. Reginald. in praxi tom. 1. lib. 9. cap. 8. n. 165. qui optimè observat, quod ex contraria sententia sequeretur in Ecclesia confusio, & perturbatio Ordinis Hierarchici.

14. Sed quia resolutio huius dubij, multum pendet ex illa difficultate, an obedire debeat subditus Superiori procedenti iuxta sententiam probabilem? Vide Texedam in Theol. mor. tom. 1. tr. 2. contr. 4. n. 16. Præpositum in 1. 2. D. Thomæ, q. 19. art. 6. dub. 5. §. 1. n. 3 & alios, quos citat, & sequitur Doctissimus Oviedo, in part. 2. tr. 5. contr. 3. punct. 5. per totum. Et quidem

si quando æqualiter dubitatur de iustitia, & iniustitia legis, nihilominus subditus cogitur obedire, ut docent Doctores, quos citat, & sequitur Suarez, lib. 5. de legibus, cap. 18. ergo à fortiori, quando iudicium est speculativum pro utraque parte, debet præferri ius Superioris; est enim eadem ratio, vel maior, quia in presenti certò constat prædictæ de iustitia legis, ibi autem neutrum constat prædictæ de iustitia legis, sed præsumptivè tantum. Et quidem contrarium asserere esset, ut ait Giuniparus, de iure Pontif. disp. 6. c. 3. n. 46. nimis larga licentia, & multam confusionem, & scandalum generaret in Republica Christiana, etiam respectu Legum Civilium, & Sanctionum, ac Statutorum Principum secularium.

15. Nota verò, quod etiam si standum esset opinioni Patris Spinulæ, & aliorum negativæ, procederet quidem in foro conscientie, non autem in foro exteriori, in quo excommunicatus est puniendus, & ut talis existimandus; unde novissimè doctus, pater Bordonus, in Consiliis Regul. tom. 2. ref. 78. n. 18. sic asseruit: Quando clarè constat sententiam fuisse nullam, & invalidam, in hoc casu censuratus non tenetur timere, neque servare sententiam, quia illa non ligat neque apud Deum, neque apud Ecclesiam, quæ neminem iniquè & contra iustitiam ligat, quæ vnicuique mandat servari iuxta illam. Dixi clarè, quod contingit in omnibus illis casibus, in quibus Doctores conveniunt in nullitate sententiæ. Quod si in opinione sit casus, & utrinque sint Doctores communiti, ita quod opinionem reddant probabiliorem, vel æquè probabilem ex parte iudicis, in foro Ecclesiæ sententia tenetur timere, & servare censuram, quia tunc casus censuræ dubius; in dubiis autem obediendum est Iudici, & Prælato, ex vulgatis iuribus. In occulto autem, si pro se subditus habet probabilem opinionem, potest non servare sententiam: quia sic prudenter agendo non peccat coram Deo. Ita ille; cui adde Rocafull, ubi supra, citatum in favorem negativæ sententiæ, qui lib. 7. de lege Ecclesiæ, §. n. 39 ait: Quod si opinio probabilis excusaret subditum, id esset in foro conscientie, non tamen in foro exteriori tribueret inferiori potestatem, quæ se eximeret ab obligatione legis probabilis iudicio innixa.

Sed ego puto nostram sententiam tenendam esse in utroque foro.

RESOL. XXXII.

An si Episcopus prohibeat furtum sub pena excommunicationis lata sententia, furans incurrat excommunicationem, si invincibiliter legem istam ignoret? Idem dicendum est, si excommunicatio lata sit à Pontifice. Et que dicta sunt de excommunicatione, dicenda etiam sunt de suspensione, interdicto, & irregularitate. Et quid est dicendum, si aliquis, verbi gratia, vocit non fornicari, vel ludere sub pena centum aureorum, si postea immemor voti fornicetur, luserit, &c. an teneatur solvere penam? Idem est, si dum fornicatur, memor sit voti, non autem penam imposuit, etiam si esset penam castitatis, Religio, peregrinationis Ierosolymitana, &c. Idem est de eo, qui ex oblivione naturalis omittit recitare Horas Canonicas, quod non tenetur restituere fratrum. Ex part. 3. tr. 6. & Misc. 2. Resol. 41.

Incurrere in excommunicationem docent Alvarez, Soto in part. 1. D. Thomæ, disp. 159. n. 5. Comitoulus, l. 1. q. 3. Covarruvias, in c. alina mater, part. 1. §. 1. o. n. 9. & alii penes ipsos. Et ratio est, quia excommunicatio lata hæc est super furtum lege naturali damnatum.

Procur in
Resolutio-
nibus not.
primæ hu-
jus Res. &
not. seq.
Et pro alibi
contento ad
lin. 4. huius
§. Verum, in
tom. 3. tr. 1.
Ref. 15. &
16. & in
tom. 7. tr. 1.
Ref. 133. §. 2.
ad med. à
verf. Et idè
dicent.

S. hoc in
Resolutio-
bus, &
verf. not.
præterita.

Et ejus Absolutione. Resol. XXXIII. &c. 21

2. Sed mihi contraria sententia magis placet quam tenetur Salas in part. 2. tom. 2. tr. 13. disp. 8. sect. 10. Molina tom. 4. tr. 5. disp. 71. n. 9. Valentia tom. 4. disp. 7. q. 17. punct. 7. Sanchez de matrim. tom. 3. lib. 9. q. 2. n. 9. Suarez de cens. disp. 4. sect. 8. n. 20. Henricus Toletus lib. 1. c. 8. Sayrus de cens. lib. 5. c. 18. n. 24. Graffius tom. 1. lib. 4. c. 9. n. 16. & alij penes ipsos. Et ratio est, quia ignorans invincibiliter excommunicationem impositam ab Episcopo, peccat tantum contra jus naturale, adversus quod se agere cognoscit, non autem jus positivum Episcopi, quod quidem invincibiliter ignorat. Ergo non incurrit in excommunicationem ab Episcopo latam.

3. Et hæc omnia vera esse puto, non solum si excommunicatio sit lata ab Episcopo, sed etiam à Summo Pontifice, quia militat eadem ratio. Et ita docent Azorius, Henriquez, Toletus, Sanch. & alij ubi supra, quidquid in contrarium asserat Salas in part. 2. tr. 13. disp. 8. sect. 10. n. 77. Vgolinus de cens. lib. 1. c. 9. §. 8. n. 10. D. Antoninus par. 3. tit. 24. c. 75. Corduba lib. 2. q. 27. & alij.

4. Quæ autem dicta sunt de excommunicatione, dic etiam de suspensione, & interdicto; nam ab his penis excusat ignorantia invincibilis juris eas imponentis, quamvis factum sit jure naturali damnatum, & pena statuta sit ab Episcopo, vel à Pontifice, & sic. Et ita docent Valquez de excomm. dub. 16. n. 6. Navarrus c. 23. num. 47. Suarez de cens. disp. 4. sect. 8. §. 2. num. 20. & seq. Sanchez lib. 9. disp. 3. num. 18. Filiucius eodem tr. cap. 8. q. 10. n. 25. i. quidquid in contrarium asserat Avila de cens. part. 2. cap. 5. disp. 1. dub. 10. concl. 2. Alvarez in part. 2. D. Thomas, disp. 158. n. 5. & alij; & idem sentendum est, quando imposita est in penam debiti.

5. Notandum est etiam hic obiter, quod si quis, v. g. voluit non fornicari, vel ludere sub pena centum aureorum, si postea immemor voti fornicetur, non teneturolvere penam; quia naturalis obli-vio æquiparatur ignorantie invincibili; & ita docent Sanchez in summ. tom. 1. lib. 4. c. 22. n. 18. & alij. Idem dic, si dum fornicatur memor sit voti, non autem penæ impositæ, etiam si esset pena Religiosis, Castitatis, Peregrinationis Hierosolymitanæ, ut probabiliter asserit idem Sanchez n. 19. Idem dicendum est de eo, qui ex oblivione naturali omittit recitare aliquas horas canonicas, nam non tenetur restituere fructus, non obstante lege penali irritante fructuum acquisitionem; que omnia sunt valde notanda.

RESOL. XXXIII.

An ignorantia vincibilis juris, vel facti excuset ab incur-sione censurarum, & aliarum penarum, si e lata sit à jure communi Papæ, si ve particulari Episcoporum?

Ubi etiam explanatur, quænam dicatur ignorantia crassa, & supina, lata, & vincibilis, vel ignorantia crassa, supina, & affectata. Ex part. 3. tr. 5. & Miss. 1. Ref. 13.

§. 1. Hæc resolutio erit plena magnæ consolationis, quia respondeo affirmativè, & ita docet Pottel in addit. ad dubia regul. ver. ignorantia, n. 25. & Sanchez de matrim. tom. 3. lib. 9. disp. 3. n. 31. ubi sic ait: Existimo ignorantiam etiam mortaliter culpabilem, si ve juris, si ve facti, modò non sit crassa, excusari à censuris, & penis, & idem dico licet ad sit scientia legis, si ad sit ignorantia non crassa censuræ. Ita ille, qui validis rationibus confirmat hæc omnia, & intelligenda esse docet de quibuscunque penis, si velatis à jure communi Papæ, si ve à particulari Episcoporum. Si tamen scire cupis, quamam dicatur igno-

rantia crassa & supina; respondet, illam dicendam esse, quæ ex lata culpa in adhibenda diligentia pro-cedit: culpa verò lata est, quando ignorans aut nul-lam, aut valde modicam adhibuit diligentiam. Et Graffius de cens. part. 1. lib. 4. c. 8. n. 20. & alij, asserunt cri-pam latam, seu ignorantiam crassam esse illam, quæ ex malitia, vel ex nimia negligentia procedit. Imò Anton. cap. 2. de cens. n. 9. amplius videtur petere; ex-plicat enim eam ignorantiam esse, quando est latissi-ma culpa, quæ dolo æquiparatur. Et hæc omnia Por-tel. & Sanchez ubi sup. quidquid in contrarium asse-rant Sotus in 4. disp. 28. q. 1. art. 1. Graff. part. 1. de cens. lib. 4. disp. 4. c. 9. n. 20. Suarez, & alij, quos citat, & sequitur Villalob. in summ. tom. 1. tr. 16. dub. 12. n. 6. ubi ait: [La ignorantia vincible ora sea del echo ò del derecho, no excusa de la censura. A si lo tiene Suarez, porque como no excusa de pecado, tan poco excusa de la censura.] Sed tu tene nostram sententiam ex c. 2. de cens. in 6. ubi habetur, ignorantiam, quæ non est crassa, & supina, excusare ab omnibus sententiis Ordina-rorum. Et ita etiam hanc sententiam docet Bonacina de cens. disp. 1. q. 2. punct. 1. n. 10. & Barb. in collect. 2.3. lib. 1. sexti Decretal. tit. 2. c. 2. n. 8. ubi n. 7. optime impugnatur Suarez asserentem ignorantiam crassam, & supinam, idem esse cum ignorantia vincibili.

2. Notandum est etiam hic obiter; Primo igno-rantiam quantumcunque crassam, nisi esset ingens temeritas, & latam culpam excusare à pena imposita scienter aliquid facienti. Secundo idem dicendum est, cum lex penam inducit præsumens aliquid facere; quia non verè dicitur præsumens, si quis aliquid ig-norantia culpabili, & crassa efficeret; præsumptio enim dolum importat, & temeritatem. Ita Basilus Pontius de matrim. lib. 1. o. c. 6. n. 10. Sanchez ubi su-pra, Curiel in part. 2. q. 76. art. 4. dub. 4. Henriquez lib. 1.3. c. 23. n. 3. Avila de cens. part. 2. c. 6. disp. 10. dub. 6. Molina tr. 5. disp. 71. n. 13. quidquid in contrarium asserat Toletus lib. 1. c. 48. Alterius de cens. disp. 11. de suspens. c. 5. hoc autem.

3. Imò Bonacina loco citato de cens. disp. 1. quest. 1. punct. 1. num. 11. contra Suarez docet hanc sententiam procedere, non solum quando quis operatur cum ig-norantia crassa, sed etiam cum ignorantia affectata, si ut dictum est, verba censuræ hæc essent, Qui scienter hoc fecerit, vel qui præsumperit, &c. Et hæc omnia Confessarij in mente habeant: nam ex illis non pau-ci ab incurfione censurarum immunes erunt.

RESOL. XXXIV.

An ignorantia non solum invincibilis, sed etiam vincibi-lis excuset ab incurfione censurarum, si ve facti, si ve juris, tam universalis, quam particularis sit?

Et an ignorantia crassa, & supina nunquam excu-set?

Et an hæc omnia habeant locum in suspensione & inter-dicto, quamvis factum sit jure naturali aut divino damnatum, & pena statuta sit ab Episcopo, vel à Summo Pontifice?

Et notatur ignorantiam vincibilem facti impedire incurfio-nem censura lata contra eos, qui scienter aliquid fece-rint, aut facere præsumperint, aut contra eos, qui au-su temerario aliquid fecerint, etiam quando est affe-ctata, vel adeo crassa, ut moraliter censetur intenti-tas, seu affectata. Ex part. 5. tract. 9. Resol. 17.

§. 1. Negativam sententiam tenet Turrianus de cens. lib. 1. disp. 5. dub. 4. Gordonus tom. 2. lib. 7. quest. 6. cap. 6. n. 3. & alij. Sed affirmativam senten-tiam docet Tannerus tom. 4. disp. 6. quest. 10. dub. 3. vide doctri-n. 47. ubi sit asserit: sit ergo hæc generalis assertio. nam Ref. 8.

Ignorantia

Sup. contem-to in hoc & seq. ver. inf. in ref. 35. Et ad n. 2. m. ad mel. ver. Denique.

Sup. hoc. b. in eodem §. not. præteri-tæ, signanter ad lin. 8.

Sup. contem-to in hoc §. in ref. seq. §. 1. post. med. à ver. Ita Celestinus, & seq. & in ref. 1. post seq. §. Et tan-dem, inter medium, & finem, ver. Soler lex, & inf. in ref. 36. §. ult. & c. & alferat Toletus lib. 1. c. 48. Alterius de cens. disp. 11. de suspens. c. 5. hoc autem. §. 5. lege hanc ult. ref. hu-jus not. à principio, & c. & c. ejus pri-mæ not. & in 7. tr. 1. Ref. 19. §. 1. & ult. & in ref. 23. §. 1. ad med.

Sup. prima diffi-c. hujus tituli in ref. præteri-tæ, & seq. §. ult. ad med. & sup. in ref. 6. §. 1. Et primo, ad lin. 6. & inf. in ref. 61. §. ult. & in tr. seq. ref. 25. §. 2. & infe-rrius in tr. 8. ref. 6. & in t. 6. tr. 1. ref. 38. & in t. 7. tr. 1. ref. 19. §. 1. & signa-ter in §. ult. & signanter in ref. 23. §. 1. ad med. & in t. 7. vide doctri-nam Ref. 8.